



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,  
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

**Ziegler, Kaspar**

**Norimbergæ, 1686**

IV. De potestate administrandi Sacramenta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

ex verbis Optati Milevitani lib. 4. aduers. Donatistas: Electi estis, qui sedentes populum doceatis, & detrahitis nobis, utiq; fratribus vestris. -- Ergo unicuiq; vestrum dictum est: Sedens aduersus fratrem tuum denotabas & aduersus filium matris tue ponebas scandalum. Dum peccatorem arguit & sedentem increpat DEUS, specialiter ad vos dictum esse constat non ad populum, qui in Ecclesia non habet sedendi licentiam. Sic & Constantinus M. laudatur ab Eusebio in ipsius vita, lib. 4. cap. 33. quod sibi de Servatoris nostri sepulchro concionanti, stans ipse cum cæteris aures præbuerit, pium & religiosum esse, dictitans, ut de rebus diuinis stantes audiant. In aliquibus tamen Ecclesiis etiam auditoribus sua fuisse sedilia, idque attentioni magis commodum esse, scribit Augustinus lib. de catechiz. rud. c. 13. Longeq; ait, consultius in quibusdam transmarinis Ecclesiis non solum Antistites sedentes loquuntur ad populum; sed ipsi etiam populo sedilia subjacent: ne quisquam infirmior stando lassatus, à saluberrimâ intentione auertatur, aut etiam cogatur abscedere.

XVII. Sed uti externa hæc sunt, & arbitrio hominum relicta; ita seruandum illud, quod iure diuino institutum est, ut ipse doceat & pascat oves suas Episcopus. Grave namque est pondus sacerdotii, uti loquitur Gregorius Magnus lib. 2. epist. 39. ind. 10. De prædicationis semper ministerio cogitet: intentissimo timore considerans, quod recessurus ad percipiendum regnum Dominus & talenta seruis distribuens dicat: Negociamini, dum venio. Quod profecto negocium tunc verè nos agimus, si vivendo & loquendo, proximorum animas lucramus, si infirmos quosq; cælestis regni gaudia prædicando in superno amore roboramus, si proteruos ac tumidos, gebennæ supplicia terribiliter insonando stetitimus, si nulli contra veritatem parcimus &c. Et quanquam viderit Episcopus, nihil omninò concionibus suis se proficere, non desinat tamen ille docere, admonere, increpare, arguere, objurgare, instare tempestivè & in tempestivè. Sicut enim aquarum vene, etsi nullus veniat aquatum, manant tamen; & fontes, quamvis hauriat nemo, scatebras emittunt: ita Episcopus & Concionator verbum DEI prædicare debet, etiamsi pauci illum audiant & convertantur. Verba sunt Chrysostomi homil. de Lazaro & divite in cap. 16. Luc. tom. 2.

## CAP. IV.

### De Potestate administrandi Sacramenta.

I. Etiam hæc potestas non Episcopo tantum, sed etiam presbytero competit, & jam olim in veteri Ecclesia communis fuit, sed ita, ut presbyteri id munus sub Episcopi inspectione esset, & ab ejus directione penderet.



deret. De sacramentis autem dum hic agimus, præter baptismum & sacram Eucharistiam nullum aliud agnoscimus. Neque aliud statuerunt veteres Ecclesiæ Doctores, quando deditâ operâ de propriè dictis sacramentis agunt. Sic enim Cyprianus *lib. 2. epist. 1. ad Steph.* Tunc demum plane sanctificari & esse filii DEI possunt, si utroq; Sacramento nascantur. Et Augustinus *lib. 3. de doctr. Christ. c. 9.* Quædam pauca pro multis, eademq; factu facilissima & intellectu augustissima & observatione castissima ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina, sicuti est baptismi Sacramentum & celebratio corporis & sanguinis Domini. Agit ibi Augustinus de differentiâ signorum veteris novique testamenti, quo loci sine dubio reliqua novi Testamenti Sacramenta adduxisset, si plura statuisset ipse. Ad constitutionem namq; Sacramenti præter auctoritatem divinam duo præcipuè requiruntur, nempe externum aliquod elementum, sive corpus, quod sub sensus cadit, & verbum ab ipso Salvatore Christo præscriptum. Inde Augustinus *tr. 80. in Johannem: Accedat verbum ad elementum & fit Sacramentum.*

II. Talia cum non sint reliqua quinque, quæ nobis obtrudit Ecclesia Latina, sed vel verbis careant, vel elementis, vel ipsâ etiam auctoritate divinâ, facile inde colligere licet, non esse ea propriè dicta Sacramenta. Ita Matrimonio, ordini & pœnitentiæ adest quidem verbum DEI, sed elemento externo destituuntur. Confirmatio instituto, verbo & promissionibus divinis & omnibus ad eò requisitis sacramentalibus caret. Unctio extrema nec ipsa à Christo instituta est, & simul caret promissione. Unde ipsi etiam ex Scholasticis Doctoribus nonnulli rectius, & quod res est, de illis sentiunt. Alexander Alensis, *Sacramentum, inquit, confirmationis, ut est Sacramentum, neq; Dominus instituit, neque Apostoli, sed postea institutum est in Concilio Meldensi. part. 4. q. 24. memb. 2.* Durandus etiam, *matrimonium, inquit, strictè & propriè loquendo, non est Sacramentum.* Sic & de unctioe extrema, quod à Christo instituta sit, negant Hugo de S. Victore *lib. 2. de Sacram. c. 2.* Lombardus *4. dist. 23.* Alensis *part. 4. q. 8. memb. 2. a. 1.* Altifiodorensis *l. 4. sum. tr. 7. c. 1.* Et de ipso eorum numero septenario ingenuè Vazquez, *quod septem sint Sacramenta, inquit, Patrum testimoniis confirmare supervacaneum est, quia nullus de eorum numero quicquam speciatim definiit.*

III. De Sacramentis ergò dum agimus, unicè nobis sermo est de illis, quæ propriè dicta talia sunt, & de quibus, quod talia sint, nulla omninò est controversia. De reliquis enim, quatenus aliqua in illorum collatione Episcopis competit potestas, non ut Sacramentis, sed ut ritibus Ecclesiasticis, deinceps videbimus. Utrumque autem istud Sacramentum ab Episcopis administratum & collatum jam olim fuisse, non ex Apostolorum tantum exemplo patet, qui in hâc tali actione etiam Successoribus suis exemplar fuerunt; sed etiam ex insequentium temporum praxi Ecclesiasticâ. Nec fortè



forte quisquam est, qui eâ de re aubitet. Autor constitutionum Apostolicarum lib. 8. cap. 28. de diaconorum potestate ita loquitur, ut potestatem consecrandi solis Episcopis & presbyteris propriam faciat. *Diaconus, inquit, non benedicit, neq; dat benedictionem; accipit verò ab Episcopo & presbytero: Non baptizat, non offert; oblatione verò ab Episcopo aut presbytero factâ ipse diaconus dat populo, non tanquam sacerdos, sed tanquam qui ministrat presbyteris.* Ita etiam respondit Gelasius I. Pontifex in epistola ad Episcopos Lucania, apud Gratianum c. diaconos, dist. 33. *Diaconos propriam constituimus observare mensuram: neq; ultra tenorem paternis canonibus deputatum quippiam tentare permittimus: & nihil horum in suo ministerio penitus applicare, quæ primis ordinibus propriè decrevit antiquitas. Absq; Episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis ordinibus fortassis longius constitutis necessitas extrema compellat: quod etiam Laicis Christianis facere plerumq; conceditur. Sacri corporis erogationem sub conspectu Episcopi seu presbyteri, nisi his absentibus, jus non habeant exercendi.*

IV. Ex hoc ergò principio Laurentius Archidiaconus, cùm videret Xystum Episcopum suum ad martyrium trahi, suam doluit infelicitatem, quod non simul cum eo martyrem esse liceret, apud Ambrosium lib. 1. de offic. c. 41. *Non pratereamus etiam S. Laurentium, qui cùm videret, Xystum Episcopum suum ad martyrium duci, flere cepit, non passionem illius, sed suam remansionem. Itaq; his verbis appellare cepit; Quo progredieris sine filio pater? Quo sacerdos sancte sine diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid in me ergò displicuit pater? Numquid degenerem probasti? Experire certe, utrum idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti dominici sanguinis dispensationem, cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas &c.* Quibus verbis apertè constat, ad Episcopum pertinuisse eucharistiæ administrationem & consecrationem, diaconum autem eandem distribuisse & dispensasse.

V. Imò verò administrationem Sacramentorum aliquando ita quasi propriam Episcopis fecerunt patres, ut eam presbyteris non aliter competere dicerent, nisi ex Episcopi permissione. Difertè eam in rem Tertulianus de baptis. c. 17. *Supereft ad concludendam materiolum, de observatione quoq; dandi & accipiendi baptismum commonefacere. Dandi quidem habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus, debinc presbyteri & diaconi, non tamen sine Episcopi autoritate propter Ecclesie honorem, quo salvo, salva pax est. Et Hieronymus dial. advers. Luciferianos: Sine Chrismate & Episcopi iussione neq; presbyter neq; diaconus jus habent baptizandi. Inde & canone, uti appellatur, Apostolico 40. constitutum fuit: Presbyteri & Diaconi sine sententiâ Episcopi nihil perficiant, ille enim est, cui creditus est populus Domini, & pro animabus rationem redditurus. Quæ verba licet Interpretes Græci Theodorus Balsamon,*  
Johan-



Johannes Zonaras, & Alexius Aristenus explicare velint de Ecclesiasticis præcipuè censuris & aliis ad Episcopum pertinentibus negociis; non videtur tamen eam expositionem admittere sententia Ignatii, quam in epist. ad Smyrnensis his verbis exprimit: *Nemo præter Episcopum aliquid agat, eorum quæ ad Ecclesiam pertinent. Firma Eucharistia reputetur. quæ ab Episcopo concessa fuerit.* -- Propterea non licet sine Episcopo, ἢ π βαπτίζεν, ἢ π προσφέρειν, ἢ π ἱερίαν προσκομίζεν, ἢ π δοχὴν ἑπιπέλειν, neq; baptizare, neq; offerre, neque sacrificium immolare, neq; missas facere, sive, ut alii reddunt, neq; agapen facere, quod probat Jacobus Usserius Archiepiscopus Armachanus in not. Quicquid tamen hujus sit, non videtur ea horum patrum sententia, quod potestatem suam habeant & accipiant ab Episcopo, sed quod ad exercitium actus requiratur etiam scientia Episcopi, cum contingere possit casus aliquis dubius, cujus cognitio merito Episcopo defertur.

VI. Cæteroquin rectè docet Isidorus Episcopus Hispalensis, etiam presbyteros, qui Episcopi non sunt, præesse Ecclesiis Christi, esse consortes Episcoporum in doctrinâ populo tradendâ, in officio prædicandi, in administratione Sacramentorum, & solâ ordinatione exceptâ omnia competere Episcoporum munia. Presbyteri, inquit, interpretantur Seniores, quia seniores ætate Græci presbyteros vocant, his enim sicut Episcopis dispensatio mysteriorum DEI commissa est. Præsent enim Ecclesiis Christi, & in consecratione divinâ corporis & sanguinis Christi consortes cum Episcopis sunt; similiter in doctrinâ populorum, & in officio prædicandi: sed sola propter auctoritatem summo Sacerdoti Clericorum ordinatio & consecratio reservata est, ne à multis Ecclesia disciplina vindicata concordiam solveret, scandala generaret. Non tamen sine fundamento putat Hugo Menardus not. ad sacram. Gregorii p. 144. tempus fuisse, cum sæpè sæpius contingeret, ut ipse baptizaret Episcopus, rarius baptizarent presbyteri & diaconi. Ista tamen praxis presbyterum jure baptizandi minimè excluderat, sed per accidens fiebat, quod cum presbytero major esset Episcopus, indecorum fuisset, ipso præsent presbyterum communes alioqui sacri ministerii actus exercere.

## CAP. V.

## De Potestate confirmandi baptizatos.

I.

EX antiquissimis Ecclesiæ documentis constat, in collatione baptismi non manûs tantum impositionem adhibitam fuisse, sed junctam simul unctionem sive chrismâ. Theophilus Antiochenus Episcopus, qui sub